

nes promiscuè in testes adhiberi possunt, modo non præsumantur accusare spe turpis quæstûs: cum non sit malitiis hominum indulgendum cap. significante 5. de his qui matr. accus. poss. &c. lib. 4. tit. 18. unde tam denuntiator impedimenti quam testis jurare debet, quod non pretio conductus, nec odio vel amore datus impedimentum denuntiet, sed purè idèò quia credit revera tale impedimentum subesse. Videatur Can. 5. & 8. Caus. XXXV. Q. 6.

DISPUTATIO LI.

De statu & apparitionibus post mortem.

A Liam post hanc supereesse vitam, nec hominum conditionem per mortem totaliter desinere, nisi tantum ad tempus, quantum ad Corpus attinet, fides Catholica docet, proinde novam & immutabilem vivendi rationem inchoat anima à corpore separata; quia verò ordinatam cum viventibus communicationem animæ defunctorum non continuant, interim plures vivis in assumptionis vel propriis vel alienis sive ope Dæmonum sive ope Angelorum efformatis corporibus apparuisse leguntur, hinc de statu & apparitionibus animalium in hac disputatione agitur, ut sciatur quid de hisce apparitionibus sentiendum sit: omnes enim apparitiones falsas vel imaginarias esse nimis temerarium foret asserere, econtrà qualsunque apparitiones veras esse qui judicaret, levitatis argui posset. Igitur cum ipsa sacra scriptura testetur in monte Thabor Eliam & Moysen cum Christo Apostolis apparuisse; multaque Sanctorum post mortem vivis apparentium exempla à fide dignissimis scriptoribus referantur, imò & animas damnatorum & purgatorio igne detentas inter homines vias in corporibus probati asseverent scriptores, eas apparitiones non temerè negare sed expendere oportet.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quot & quæ receptacula animarum post mortem?

DICO: Receptacula animarum distinguuntur secundum diversos status earum. S. Th. in suppl. Q. 69. a. 7. O.

Explicatur: Licet substantiæ spirituales non sint in loco circumscripтивè, quod solis rebus quantitate affectis proprium est, sunt tamen in loco definitivè, in quantum vel in locis operantur, vel impediuntur alibi operari; hoc igitur modo animabus post hanc vitam tribuuntur certa loca, sicut Angelis, quæ loca distinguuntur secundum merita vel demerita animarum: cum ad hoc à Deo sint ordinata, ut in iis animæ recipiant vel præmia meritorum vel pœnas demeritorum, & secundum hoc quinque animarum receptacula distinguuntur, vel enim anima jam actu recipit præmia, & hoc receptaculum est cœlum empyreum, sive sedes beatorum; vel recipit pœnam demeritorum, & hoc dupliciter fit, vel pro peccatis mortalibus actualibus, & hoc receptaculum est infernus damnatorum, vel pro solo peccato originali, & hoc receptaculum est limbus puerorum, in quo detinentur animæ infantium, qui solo peccato originali infecti ex hâc vitâ discesserunt, denique si animæ nondum sint in statu recipiendi præmium meritorum, sed ab eo impediuntur, vel impediuntur ob defectum personæ, sive propter culpas actuales, pro quibus in hoc seculo nondum sufficienter est satisfactum, & harum receptaculum est purgatorium; vel impediuntur propter defectum naturæ: nempe quia humana natura per peccatum Adæ infecta per Christum nondum sanata & reparata erat, & harum receptaculum est limbus Patrum, qui etiam vocatur sinus Abrahæ: quia, cum Abraham primus à cœtu infidelium se segregaverit, & speciale signum fi-

Pp. 5 dei

dei à Deo acceperit, deinde etiam ante adventum Christi nullus ad requiem illam, qua Patres in limbo immunes ab omni pœnâ requieverunt, pervenerit sine fide, hinc limbus Patrum vocatur sinus. Abrahæ, undè sequitur quinque realiter distincta esse receptacula animarum post hanc vitam.

Obj. Vel illa quinque receptacula non sunt realiter distincta vel plura debent assignari nam 1. Limbus Patrum & puerorum est idem: cum juxta dicta Patribus & pueris debeatur speciale receptaculum ob peccatum originale, quod in utrisque est idem. 2. Uterque limbus vocatur sæpè infernus in S. scripturâ; ergo non est distinctus ab inferno. 3. Aliquæ animæ etiam in hac terrâ inter homines puniuntur; ergo tales loci sunt specialia illarum animarum receptacula.

R₂. Ad 1. infantibus in peccato originali decedentibus & Patribus assignatur speciale receptaculum ob peccatum originale, sed infantibus in quantum est infectio personæ, Patribus in quantum est infectio naturæ, & hinc licet fortè quoad situm loci idem sit, tamen est diversum quoad præmium vel pœnam.

Ad 2. uterque limbus (idein est de purgatorio) vocatur infernus, quia uterque locus in inferiori parte terræ situs vel idem vel quasi continuus est inferno, ita tamen ut superior pars inferni limbus dicatur.

Ad 3. Licet aliquæ animæ in loco habitationis nostræ puniantur, ille locus tamen non est proprius pœnorum post hanc vitam, sed hoc potius ex speciali divinitæ providentiæ dispensatione fit ad nostrum commodum, ut ita intelligentes eorum pœnas retrahamus à culpis.

Q. 1. Quænam ex his receptaculis sunt perpetua?

R₃. Cœlum, infernum & limbum puerorum esse perpetua: quia sunt ordinata ad æternam remunerationem vel punitionem, limbus autem Patrum, si sit fortè

DE STATU & APPARATIONE POST MORTEM. 601
fortè locus à limbo puerorum distinctus, & purgatorio
rum post extreum judicii diem cessabunt & proba
biliter inferno ampliando deservient.

Q. 2. Qualiter ad loca animabus destinata post
Christi passionem animæ deferantur?

R. 1. Animæ hominum in actuali vel etiam solo
originali peccato decedentium statim ad infernum vel
limbum puerorum deferuntur penitus tamen disparibus
puniendæ ita Florent. & probari potest exemplo dicitur
epulonis, qui Luc. 16. mortuus dicitur esse sepultus
in inferno.

2. Animæ illorum, qui post Baptismum nullâ peccati
maculâ infecti ex hâc virtute discedunt vel plenè purgati
sunt à contractis peccatorum maculis, statim recipiun
tur in cœlum clarâ Dei visione fruaturæ ita idem Florent.
& docet Innoc. III. in cap. cum Marthæ 6. §. tertio loco
2. de celebr. miss. lib. 3. tit. 41. patetque ex illo Christi
ad Latronem in Cruce: *Hodie tecum eris in Para
diso. Et ratio est: quia, cum nihil impediat tales animas*
à cœlesti gloriâ, *sitque cœluim modo per Passionem*
*Christi apertum, non est, cur beatitudo talium ani
marum differatur.*

3. Animæ, quibus adhuc restat aliqua purgatio,
post mortem deferuntur ad purgatorium, donec plenè
purgatæ ad cœlestem gloriam recipiantur.

QUÆSTIO II.

An possit anima pati ab igne, & redire?

Suppono: In inferno non esse solum ignem metaphys
icum aut imaginarium, sed verum ignem cor
poreum: cum S. scriptura de inferno loquens absolutè
ignis mentionem faciat, & Christus Matth. 25. disser
tè dicat judicem dicturum impiis: *Discedite à me*
maledicti in ignem aeternum &c. verba autem S. scrip
turæ juxta regulam S. Augustini intelligenda sunt pro
priæ

priè, nisi aliquod inconveniens ex proprio sensu sequatur, quale hic nullum sequi, constat ex objectio-
num solutionibus.

DICO 1. Oportet dicere, quod anima ab igne corporeo pœnas patietur. S. Th. in suppl. Q. 70.
A. 3. O.

Probatur: licet Angeli mali sint substantiæ spirituales completæ, tamen patientur pœnas ab igne corporeo, ut constat ex illo Matth. 25. ubi Christus de igne damnatorum dicit: *qui paratus est Diabolus & Angelis ejus*; non autem est paratus ad aliud, quam ad cruciandum, ergo etiam animæ, licet sint substantiæ spirituales incompletæ, patientur pœnas ab igne corporeo, non quidem secundum vires naturales relicto, sed ut instrumento divinæ Justitiæ secundum potentiam obedientialem elevato, undè hæc est querimonia animæ divitis epulonis Lucæ 16. *crucior in hac flammâ*.

Sed quomodo animæ illo igne crucientur, est incertum: cum de eo nihil nobis revelatum sit, optimè dici videtur de Angelis & animabus separatis, quod ab igne inferni crucientur per modum alligationis & detentionis violentæ, ità ut ille ignis divinæ virtute elevatus primò alliget ac perpetuò easdem detineat huic carceri mancipatos, ità ut hæc allatio sit primus illius ignis effectus.

Secundò ut continuò applicet illorū intellectum ad actualem considerationem talis alligationis & detentionis violentæ, quam apprehendunt tanquam maximum suum malum, undè summè dolent & contristantur, cum enim hæ substantiæ spirituales ex suâ naturâ sint suprà corpora ipsis subordinata, non possunt non apprehendere ut ingens malum & validè nocivum, quod ità alligentur alicui corpori & ab eo virtute divina detineantur, & quidem inter-

DE STATU & APPARITION. POST MORTEM 603
terrimo loco , cum tamen iplis , tanquam nobiliori-
bus substantiis , nobilior supra omnia corpora locus
deberetur , hæc autem ubicatio passiva sive alligatio &
detentio passiva est effectus quasi primarius illius ignis ut
instrumenti divini , sicut & actualis consideratio continua illius dedecoris & nocimenti est ef-
fectus secundarius , ex quo sequitur ingens dolor &
tristitia , dum vident se ad hanc miseriā redactas ,
ut ita subjiciantur elemento corporeo , quod nec li-
berè possint suā potentia activā uti , neque intelle-
ctum avocare à consideratione talis miseriae & hoc
est , quod dicit S. Augustinus lib. 21. de civit. Dei cap.
10. cur itaque non dicamus , quamvis miris tamen ve-
ris modis etiam Spiritus incorporeos posse pœnam corpo-
ralis ignis affligi , si Spiritus hominum etiam ipsi profe-
cto incorporei & nunc potuerint includi corporalibus
membris ; Et tunc poterunt corporum suorum vinculis
insolubiliter allegari ? adhærebunt ergo , si eis nulla sunt
corpora , Spiritus Dæmonum immo Spiritus Dæmones tunc
incorporei corporeis ignibus cruciandi . . . accipientes ab
ignibus pœnam . Ex quibus hic discursus formati &
ita probari potest : nulla alia opinio videtur me-
lius assignare , in quo cruciatus Dæmonum & ani-
marum separatarum consistat , non illa quæ docet
pœnam consistere in sola apprehensione ignis : quia
vel constituit tantum pœnam imaginariam , vel coin-
cidit cum sententia nostra ; non illa , quæ consti-
tuit hanc pœnam in qualitate quadam animas &
Dæmones deformante : quia velilla qualitas est spi-
ritualis privativa puritatis naturalis , & hoc obscu-
rum est , quid sit ; vel est ipse calor materialis , & hu-
jus animæ separatae & Dæmones non sunt capa-
ces.

Probatur ulterius nostra sententia ex hoc : quia
videmus , quod homines superbi plus tristentur ,
si vi-

si videant se ignominiosè detineri in carcere, quam si crudelissimè necarentur, undè etiam inæqualitas hujus poenæ consistit in hoc, quod justâ Dei providentiâ, qui majori digni sunt damnatione, clariùs & intensius apprehendant hanc summam misericordiam & majora sua demerita, ut sunt causa illius; assumptus est autem ignis ad cruciandos etiam Angelos & animas separatas juxta S. Thom. quia conveniens fuit, ut esset commune afflictivum Spirituum & corporum damnatorum post diem Judicii, creditur autem, quod ignis Inferni plus cruciabit extensivè animas damnatorum post reassumptionem corporum: quia tunc cruciabuntur & in se ipsis & ut sunt formæ corporum.

Solutio objectionum petenda est ex iis, quæ dicta sunt de causalitate Physicâ Sacramentorum novæ legis. Tum ex discursu jam formato.

DICO 2. Secundum naturalem cursum animæ separatae propriis receptaculis deputatae à conversatione viventiis penitus segregantur . . . sed secundum dispositionem divina potentia aliquando animæ separatae à suis receptaculis egressæ conspectibus hominum presentantur S. Th. in suppl. Q. 67. A. 3. O.

Prima pars probatur 1. animæ separatae non cadunt secundum naturalem cursum sub sensum: cum non amplius sensibiliter operentur & conversari possint; atqui hominum conversatio debet esse sensibilis: cum omnis hominum cognitio à sensibus oriatur, ergo.

2. Si animæ secundum naturalem cursum à receptaculis suis egredierentur, haberent naturalem appetitum ad tales egressionem, sed non habent tales appetitum, imprimis animæ beatæ nullius indigent, ad quod obtainendum peterent egredi. Deinde animæ damnatae licet sint miserrimæ & plu-

DE STATU & APPARITION. Post MORTEM eos
ribus indigeant, attamen certò sciunt, quod nul-
lius subsidii participes fieri valeant, Denique animæ
purgatorio detentæ licet subsidii participes fieri va-
leant, illas res tamen, quibus indigent, non natura
liter sed supernaturaliter cognoscunt & appetunt.

SEcunda pars constat ex historiis, in quibus sæpe-
numerò leguntur animæ in assumptis corporibus
vivis apparuisse, fiunt autem hæ apparitiones maxi-
mè à Beatis animabus ad gloriam Dei & felicitatem
suam viventibus ostendendam atque ad viventium
consolationem, à damnatis ad viventes à peccatis
per suorum suppliciorum revelationem abstrahen-
dos, ab animabus in purgatorio existentibus ad vi-
vorum suffragia expostulanda, ut innumeræ testan-
tur historiæ, è quibus S. Th. loc. cit. adducit
S. Aug. testantem quod S. Felix Martyr appa-
ruerit visibiliter Nolanis, dum à Barbaris oppugna-
rentur, & S. Greg. lib. 4. dialog. multa narrantem.
Fiunt autem hæ apparitiones aliquando per assump-
tas formas, sub quibus animæ præsentiam suam vi-
vis exhibent, & quidem illæ, quæ adhuc pœnas
luunt sub tristiore, beatæ sub hilariore & candidâ,
damnatae sub atrâ plerumque formâ sese conspi-
ciendas exhibent; aliquando verò declarant præsen-
tiā suam per signa quædam animæ: videlicet verbe-
ra quæ infligunt, tristem gemitum, sternutationem,
manuum complosionem, tumultum & similia, quæ
edunt, Monet autem S. Th. loc. cit. ad 3. in 2da
responsione, quod quamvis aliquando animæ Sanctorum
vel damnatorum præsentialiter adsint, ubi apparent,
non tamen credendum est, hoc senoper accidere. Ali-
quando enim hujusmodi apparitiones fiunt, vel in dor-
miendo vel in vigilando operatione bonorum vel malo-
rum Spirituum ad instructiōnem vel deceptionem vi-
ventium.

Obj.

Obj. Job. 7. qui descenderit ad inferos non ascendet, similiter de Beatis intelligitur illud quod Ps. 26 dicitur : ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vita mea ; ergo neque damnatae neque beatae animae ad vivos possunt redire ; præcipue vero illud argumento ad hominem videretur ostendere S. Aug. lib. de curâ pro mort. gerendâ. cap. 13. tom. 4. si rebus viventium interessent animae mortuorum & ipsæ nos, quando eas videmus , alloquerentur in somnis , ut de aliis taceam , meipsum pia mater nullâ nocte desereret, quæ terrâ marique secuta est , ut mecum viveret. Absit enim , ut facta sit vitâ feliciore crudelis , usque adeo , ut quando aliquid angit cor meum , me tristem filium consoletur , quem dilexit unicè , quem nunquam voluit mortuum videre ; igitur videtur S. Aug. sentire , quod animæ defunctorum ad vivos non redeant.

R. Ad 1. Quod sacri textus illi loquantur de desertione talium receptaculorum sive in perpetuum sive quoad gaudia & pœnas , non enim vel beatæ vel damnatae animæ divinâ ordinatione cœlo vel inferno egrediuntur , nisi ad tempus , atque interea beatæ gaudio cœlesti & damnatae pœnis inferni non carent.

Ad 2. S. Aug. locutus fuit de cursu naturali, secundum quem animæ defunctorum non apparent vivis , cæterum quod S. P. senserit , secundum dispositionem divinam animas defunctorum vivis apparere , patet ex iis , quæ eodem libro scribit.

Q U A E S T I O III.

An & quæ suffragia prosint mortuis ?

DICO Suffragia vivorum mortuis dupliciter prosunt , sicut & vivis propter charitatis unionem & propter intentionem in eos directam S. Th. in suppl.

Q. 71. A. 2. O.

Con-

DE STATU & APPARITION. POST MORTEM 607

Conclusio definita est à Conciliis Florent. & Trid.
Sess. 25. in decreto de purgatorio, in quo definit
animas in purgatorio detentas fidelium suffragiis ju-
vari.

Probatur cum ex S. Script. Tob. 4. v. 18. panem
rum & vinum tuum super sepulturam justi constitue,
non utique more gentilium, sed ut cedat in Ele-
mosynam pauperum & pro sit defuncto. Eccles. 7. v.
37 mortuo non prohibeas gratiam, scilicet quâ per
bona opera mortuo succurratur 2. Machab. 12. ubi
narrato facto Iudei in solarium defunctorum subjun-
gitur: *sancta ergo & salubris est cogitatio pro defun-
ctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Tum ex articulo
symboli, quo fatemur Sanctorum communio-
nem, que non subsisteret, nisi vivi possint iis,
quibus charitate conjuncti sunt, per sua opera succur-
rere: ex hac enim communione opera etiam privata
fidelium, licet ut de condigno gloriae & gratiae meri-
toria sunt, pro sint solis operantibus, tamen etiam
aliis prosunt non tantum ut impetratoria; juxta il-
lud ad Rom. 15. obsecro vos fratres... ut adjuvetis
me in orationibus vestris pro me ad Deum, & Jacobi
5. orate pro invicem, ut salvemini, sed etiam ut sa-
tisfactoria, inquantum sunt pretium sufficiens pro
pœnis debitibus; sicut enim propria opera alias Deo
infinitis titulis debita Deus acceptat in satisfactionem
pro pœnâ peccatis debitâ, ita & potest acceptare
alterius satisfactionem, cum nulla in eo sit repug-
nantia, & quod de facto acceptet, probat commu-
nis Ecclesiæ sensus: omnes enim credunt unum pro
alio satisfacere posse, sed an hæc applicatio sit in-
fallibilis an fallibilis, certò non constat.

Obj. In futuro sæculo non est locus remissioni sed
præmio vel pœnæ, deinde mortui se suis precibus

III. Partis Theol. Schol. suppl. Qq juvare

juvare non possunt , ergo neque juvari possunt
vivis.

R. Ad 1. Quod in altera vita non sit locus re-
missioni culpæ bene tamen pœnæ.

Ad 2. Defuncti sunt extrâ viam merendi & sa-
tisfaciendi , vivi tamen pro ipsis satisfacere possunt.

Q. 1. Quæ conditiones requiruntur , ut suffra-
gium defuncto prosit?

R. 1. Conditiones ex parte illius , cui suffra-
gium applicatur , ut illi prosit , sunt 1. ut nostro
suffragio indigeat , qualiter quoad impenitentiam
indigent omnes non damnati , nec beati ; quoad sa-
tisfactionem indigent soli illi , quibus remissâ culpâ
adhuc pœna luenda restat , quia ut vivus participet
satisfactionem , requiritur status gratiæ : qui enim
in peccato mortali existit , indignus est pœnæ alicu-
jus remissione , utpote dignus pœnâ æternâ ; suf-
fragium tamen impenitentiam maximè potest pecca-
toribus applicari , ut à peccato mediâ pœnitentiâ
resurgent 2. sufficit , ut remissum sit peccatum , pro
cujuſ pœnæ remissione suffragium satisfactionis of-
fertur. Unde non requiritur character Baptismatis ,
niſi ad participandum fructum generalem sacrificii
Missæ , quem Christus solis membris Ecclesiæ reli-
quit , nec in vivis requiritur impotentia ad satisfa-
ciendum , aliàs raro suffragium satisfactionis illis pro-
dederet , qui plerumque per se possunt satisfacere , &
licet animæ in purgatorio non possint satisfacere ,
possunt tamen satis pati , in quibus neque requiri-
tur , ut specialem devotionem in vitâ existentes
erga defunctos habuerint , nec denique specialis ac-
ceptatio illius , pro quo suffragium ostertur , aliàs
cum incertum sit , an defuncti nostras satisfactiones
cognoscant , etiam incertum esset , an illis prodes-
sent , sed sufficit habitualis voluntas , quâ gratum
quis

DE STATU & APPARITION. POST MORTEM 609
quis habeat, quidquid in propriam utilitatem sibi
factum fuerit.

2. Conditiones ex parte suffragantis sunt impi-
mis, ut habeat intentionem saltem habitualem pro
aliis suffragium offerendi : cum tale suffragium sic
quædam donatio, deinde ut opus, quo alteri suf-
fragatur sit honestum & bonum : alias Deo disipli-
cer, & consequenter nec satisfactorium nec impe-
tratorium esse potest, præterea ut suffragium satis-
factionis nomine proprio oblatum procedat ab ho-
mene in gratia existente. *Dixi 1.* Suffragium satis-
factionis : quia impetratio aliqualiter etiam in pec-
catore locum habere potest : cum Deus sæpè ob be-
na opera peccatoris non ex ipsorum dignitate, sed
suâ benignitate multa beneficia ipsi & aliis præstet,
undè sunt impetratoria de congruo saltem impro-
priè. *Dixi 2.* Nomine proprio : quia satisfactio
nomine Christi & impetratio nomine Ecclesiæ (ad
quam probabilius pertinet oratio ex præcepto & or-
dinatione Ecclesiæ facta, cum non intelligatur quis
nomine alterius operari posse, nisi alter vices suas
ipsi committat) facta non impeditur ob malitiam
ministri, cum satisfactio habeat valorem non à mi-
nistro, sed ex meritis Christi, & orationes Ecclesiæ
impetrant ob sanctitatem Ecclesiæ. Denique ut suf-
fragium satisfactionis præstetur ab homine viatore:
nam extrà hanc vitam non est locus satisfactionis
nec meriti.

Dixi satisfactionis : quia dubium non est per
suffragium impetrationis beatos imo & animas in
purgatorio existentes vivis fidelibus prodesse, cum
illorum precibus plura nobis beneficia Deus con-
cedat.

Q. 2. Qualiter executio pii legati à defuncto re-
licti defuncto prospicit, & qualiter ob restitutionem in

Qq 2 testa-

testamento relictam & executioni mandatam citius
defunctus liberetur à purgatorio , vel ob ejus omis-
sionem detineatur ?

R.: Talis executio , quatenus est effectus volunta-
tis defuncti , non est satisfactoria nec remissiva ali-
cujus pœnæ : quia non procedit à voluntate de-
functi humano modo : cum eo tempore non possit
eam impedire ; & deinde defunctus est extrà statum
merendi & satisfaciendi , undè consultum est , ut
condentes testamentum sint in gratia , cum ea lega-
ta relinquunt : siquidem tota satisfactio sicut & me-
ritum in legatione perficitur , aut in firmatione vo-
luntatis posteà sublato peccato .

Potest tamen talis executio prodesse ad remissio-
nem pœnæ his modis vel si executio facta in statu
gratiæ ab executore defuncto applicetur , vel per hoc
quod Deus ob talem executionem non solum pro-
ut ab executore , sed etiam prout à voluntate de-
functi procedit , possit moveri ad excitandos fide-
les , ut pro ipso satisfaciant aut precibus suis quan-
dam in pœnis consolationem impetrant , vel per hoc
quod fideles legata accipientes pro defuncto opera
sua offerant , ex quo etiam decisum manet alterum
nempè quod ob restitutionis executionem quis non
aliter citius liberari possit à pœnis vel ob dilatio-
nem diutius detineri , quam dictis modis , per se
autem detineri non potest in purgatorio ob omissam
restitutionem , nam cum ipse defunctus in ea omissio-
ne non sit culpabilis , licet tempore vitæ fuerit cul-
pabilis , ob eam puniri non potest .



QUÆ.

QUÆSTIO IV.

De orationibus Sanctorum.

DI CO Quantò Sancti, qui sunt in patria, sunt perfectiores charitatis, tanto magis orant pro viatoribus, qui orationibus juvari possunt, & quanto sunt Deo conjunctiores, tanto eorum orationes sunt magis efficaces S. Th. Q. 83. A. 11. O.

Probatur prima pars ex S. Script. Jerem. 15. dixit Dominus ad me, si steterit Moyses & Samuel coram me, nou est anima mea ad populum istum. 2. Mach. ult. vidit Judas Machabæus Oniam & Jeremiam orantes pro populo Israelitico, Apocalyp. 5. describuntur viginti quatuor Seniores in celo procedisse coram throno Dei habentes phialas aureas plenas odoramentis, quæ sunt orationes Sanctorum. 2. Petri 2. dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis; credimus autem Sanctos pro nobis orare, cum in simbolo credamus Sanctorum communionem: cum enim Sancti sint unius corporis membra per charitatem nobiscum unita, indigentiis nostris succurrere laborant, sed sine ulla anxietate & inquietudine, cum nihil desiderent aut efficaciter velint, nisi quod sit voluntati Dei conforme.

Secunda pars probatur: quia ex una parte Sancti sunt Deo amicissimi & per charitatem conjunctissimi, hinc sunt maxime digni, ut orationes eorum debitum effectum obtineant, ex altera parte nihil ex efficaci impetrandi desiderio petunt, quod sit divinae voluntati, cui perfectissime suam voluntatem conformant, contrarium.

Obj. 1. Solus Christus pro nobis apud patrem interpellat: quia ipse solus est mediator Dei & hominum. 2. Sancti non cognoscunt nostras indigen-

tias juxta illud Isaiae 13. *tu enim pater noster, & Abraham nescivit nos & Israel ignoravit nos* 4. Regum 22. Dicit Deus Josiaz : *colligam te ad patres tuos, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ introducti vobis sum in locum istum.* 3. Si omnes Sancti orent pro nobis, cur uni Sancto hæc beneficia, alteri alia attribuuntur? 4. Sancti in cœlis nihil sibi amplius nec mereri nec impetrare possunt ; ergo nec aliis.

R. Ad 1. Solum Christum esse mediatorem : quia solus Christus per mortem suam homines Deo reconciliavit, & sic est mediator solvendo hominum debita erga Deum contracta ; Sancti autem sunt mediatores orando Deum, ut nobis debita remittat.

Ad 2. Sancti cognoscunt nostras indigentias per revelationem in verbo : cum omnia ipsis in verbo vel in essentia divina manifestentur, quæ ad eorum statum pertinent, inter quæ sunt indigentiae nostræ, præcipue si per preces nostras ad Sanctos directas, easdem Sanctis repræsentemus.

Textus oppositus primus intelligendus est vel de scientia approbationis, ut sit sensus : Abraham nescivit nos : id est ; non habet nos pro filiis, non diligit nos, contemnit nos, quia intelligit nos a se recessisse, vel Abraham & Israelem tunc nondum fuisse beatos, & ideo, cum mortui non sciant naturaliter, quid agant viventes, posteros suos ignorasse, eodem modo exponendus est alter textus.

Ad 3. Licet Deus per quemlibet Sanctorum possit omnia concedere, tamen ob occultas providentias suæ rationes, his hunc, aliis alium Sanctum honorare vult, sicut etiam per unum talia, per alium alia miracula operatur.

Ad 4. Sancti nobis impetrare possunt ob merita
in hac

DE STATU & APPARITION. POST MORTEM. 613
in hâc vitâ præcedentia: solus enim status hujus vitæ
est status merendi, sed altera vita est status etiam impe-
trandi non tantum aliis sed etiam sibi videlicet gloriam
Corporis.

Nec obstat: Quod jam præmium acceperint; quia
etiam accepto adæquato præmio suorum meritorum
nihilominus manent amici Dei, & ut tales beneficia
à Deo nobis impetrare possunt.

DISPUTATIO LII.

De resurrectione & extremo iudicio.

Quia in hâc vitâ Corpus fuit quasi instrumentum
animæ ad merendum vel demerendum, & hinc
particeps laborum & afflictionum vel econtra vo-
luptatum illicitarum, hinc etiam animæ in or-
dine ad præmium vel pœnam sociabitur, undè cum
priori disputat. animam à corpore separatam ejusque
statum consideraverimus, in hâc & sequenti disputatione
statum reunionis animæ cum corpore expende-
mus.

QUÆSTIO I.

De signis iudicij & conflagratione mundi.

DICO I. Adventum Christi ad iudicium vensem
tis multa signa præcedent, ut corda hominum
in subjectionem venturi iudicis adducantur, & ad iu-
dicium præparentur huiusmodi signis præmoniti. S. Th.
in suppl. Q. 73. a. 1. O.

Probatur: Ex illo Lucæ 21. Erunt signa in sole & luna
& stellis & in terris pressura &c. & iunc videbunt Filium